



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Philippicæ Sive Invectivæ LX. In Notorios Peccatores

Hartung, Philipp von

Egræ, 1687

Philippica 49. in luxum vestium.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-76172](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-76172)

gò communicationem charismatum, & communionem Sanctorum omnium sperare nō potestis, quamdiu ingratitude non deseritis. ite nunc, & vel ad Iesum cum decimo redite, & gratiarum decimas persolvite, vel cum novem leprosis

absque Iesu, absque salute, absque justificante gratia emanete, ite, perite, disperate.

* * *

PHILIPPICA XLIX.

In Luxum Vestium.

DOMINICA XIV. POST PENTECOSTEN.

Quid solliciti estis. Matth. 6. v. 28.

S. I.
Superbæ
vestes ar-
guunt nos
turpitudi-
nis nostræ.



Vix ulla corruptissimo hoc nostro sæculo mortales cura major incessit, quàm novorum novorumque in singulos annos, nè dicam lunationes, vestimentorum, ex hac cura laborant non tantum Domini, plus Dominis Dominae, plusque dominabus domicillae, verum etiam status civici & sexus utriusque personae, imò & ancillae infimae, quae malunt esurire, malunt debita contrahere, malunt corpus prostituere, malunt & animam debere, quàm carere gemmulis in capite, serico in corpore, auro in pectore vestiumque luxu abstinere. eò stultitiae nostrum hoc seculum processit, ut, quod concionator celebris observat, in plebe potius quàm in summis capitibus nitorem pretiumque vestium sit cernere, nec tam in aulis requirendi, qui de exquisitis vestimentis sint solliciti, quàm in foris & compitis, ac potissimum in sexu plebis sequiore. Emendicant hae nimirum splendorem à vestibus, quem non habent à natalibus, ornarique malunt à vestibus, quàm eas ornare, sed advertite viles animae, quale vobismet ipsis ex immodera-

ta vestimentorum cupiditate accedat probrum, cum sordes terrae marisque tantoperè adamatis. quid fericum est, pro quo comparando vitae filum abrumpitis, quid argentum & aurum, pro quo caelum prodigitis? quid uniones & corallia, pro quibus disuniri à Deo non curatis? quid mosch^o, quo redolere praè omnibus solitarum virtutum aromatis gaudetis? quid chirotheculae & calceoli, quibus non tam superbiam manu & pedibus tenetis, quàm à superbia tenemini & calcamini? fericum est vermiculorum (ut venia dicto) excrementum, aurum & argentum est stomachantis terrae excrementum, gemmae & corallia spumantis maris excrementum, moschus africanorum murium excrementum, calcei & chirothecae mortuorum iamque putrefactorum animalium superstes excrementum! en quò vestra vos damnat superbia, ad sordes & excrementa, quemadmodum superbus ille serpens ad humum verrendam vorandamque damnatus est. nisi dicamus copiosiores & pretiosiores ideo vestes affectari, ut cum vestes in peccati cauterium & probrum primis parentibus à Deo datae sint (teste S. Vincentio Ferri-

rio

rio Domin. 3. Adv. serm. 5. in penam
datæ fuerunt homini vestes, quasi
vinculum latroni in penam furti) i-
pso ostendant facto posteriori, se lon-
gè vitiosiores esse protoplastis &
pluribus majoribusque cauterijs di-
gniores. Contra damnatum ita-
que hunc vestium luxum pluribus
acturus hodie, omni verborum lu-
xu abstinere, ut nuda appareat Ve-
ritas.

§. 2.

Super-
fluus ve-
stitus cor-
poris, nu-
ditatem
animæ de-
clarat.

Quod Solon Croeso, quod Dem-
onax fastuoso adolescenti in au-
rem dixit, id ego ex hac cathedra
prædico, & malis eos avibus ovi-
busque incedere proclamo, qui
splendore vestium luxuriantur. Croe-
sum Lydorum Regem refert Laërti-
us lib. de vita philos. c. 2. veste mul-
ticolore fulgentem, scepro conspi-
cuum, nitidioribus cristis turgidum,
sublimi residentem folio ex Solone
sciscitatum fuisse, pulchriusne o-
mni retrò vitâ spectaculum vidis-
set? cui Solon: vidi in gallis gallina-
ceis, phasianis, & pavonibus eò pul-
chrius quò naturalius, & tu quidem
multis te avibus infaustiorè osten-
dis, qui tot earundem exuvijs opus
habes. an non jure optimo principi
illi año 1318. talarem tunicam ex car-
duelium capitellis suffultam gestan-
ti idem poterat occini, & demon-
strari capitalem illi morbum, imò
mortem toto corpore inesse, qui a-
ves victimarat, ut ex earundem ca-
pitellis superbiam suam investiret.
Vidit Demonax juvenem purpuratū
immani fastu procedentem, cui phi-
losophus in aurem insuffuravit: he-
us! hoc ante te gestavit ovis, & ovis
erat. nihil sapit supra ovem stupi-
dam, quisquis sapientiam, nobili-
tatem, gloriam suam in ijs pellibus
& plumis describit, reponitque,
quas si spoliata bestiolæ repeteret,
corniculâ, ut est in fabulis, confusio-
res apparerent, at veniet aliquando
dies, cum direptis animalium exu-

vijs, ne dicam spoliatorum subdi-
torum plumis, apparebit nuditas
vestra o comptuli, quando coram
irato iudice vestem albam & lace-
ram purpuram induti stabitis in-
duendi pudore, & operiendi sicut
dipluide confusione. Nunc certè fa-
tis superque apparet pudenda ani-
mæ nuditas, quando tot vestimen-
tis corpus operitur. certè vix evi-
dentius signum est, animam esse
turpissimè nudam, quàm cum im-
modico vestium splendore turget
corpus. quemadmodum enim ne-
mo duobus Dominis juxtâ divinum
Evangelij hodierni oraculum servi-
re potest, ita neque cultui corporis
simul & animæ potest intendere.
negligatur necesse est animus, dum
excolitur corpus, sicut pavo dum
alas explicat, pedum turpitudinem
demonstrat, ita cum fastuosus ho-
mo pulchritudinè jactat corporis,
turpitudinem affectuum suorum,
qui pedes animi sunt, manifestat,
cõfirmat hæc omnia aureo calcu-
lo Chrystomus, hoc enim studiū
in ornando corpore internam in-
dicat deformitatē, hujus vestium,
suptus, illius indicat nuditatē, im-
possibile enim est aliquem agere,
curam animæ, & tanti facere cor-
poris pulchritudinem & ornatum,
sicut & impossibile in externo illo
cultu tantoperè occupatum illius,
agere curam, hæc ille verè aureè.
Non indiget formosa facies sibi,
non indiget vestis aurea colore a-
scitatio, non indiget ebur calcis cru-
stâ, nam ut Petrarca dial. 20. docet.
*mos est fæda coloribus obducere, & fi-
cut agri, sub quibus aurum gignitur,
nullam omnino viridem herbam
proferunt, sic ubi virtutis aurum in
corde nascitur, nulla foris peregri-
na viret pulchritudo; è contra verò
quemadmodum frondosæ arbores
fructum non ferunt, ita homines fi-
cut arbores, dum externo decori*
Kk 2 omnes

S. Chryso-
stomus
homil. 37.
in Gen.

Drex. l. 3.
cap. 9.

omnes curas impendunt, maturos virtutum solidarum fructus ferre non solent, imò inveteratorum fœditatem vitiorum splendore vestium obtegere conantur. facit huc, quod de Apelle narrat Clemens Alexandrinus 2. pædag. 12. hisce verbis: Apelles pictor cum vidisset quendam ex suis discipulis pinxisse Helenam multo auro ornatam: *ô adolescens, exclamavit, cum non posses pingere pulchram, fecisti divitem.* tales sunt Helenæ imò lenæ, quæ cum pulchræ non sint, apparere nihilominus pulchræ volunt, effictæ & ornatae divitijs & vitijs.

S. 3.
Elegan-
tia vesti-
mentorum
manifestū
indiciū
est latitan-
tis defor-
mitatis.

Tria inquit Aufonius commentatione non indigent, ut probentur vel improbentur, sapiens oratio cum profertur, bonum vinum cum bibitur, vir bonus in calamitatibus, addo, præditus virtute animus. unde liquet & animum & corpus illius deforme esse, quem perpetua vestimentorum cura exagitat. Vidimus ipsi vivas formosæ naturæ imagines absque fuce & pompa longè formosiores apparuisse, quàm deformes cum exquisitissimis pigmentis & raræ elegantiae vestimentis. *ego ita planè sentio*, inquit Paulus à palatio in c. 6. Matth. cui consentio, *quosdam hac ratione se auro & argento tam exactè vestire, ut faciem vilem, quam ex meritis suis habent, fucis illis mentiantur, & intuentium oculos fallant.* Miserat Archidamus Regi Syracusano vestes elegantissimas in ornatum regiarum filiarum, at remisit Rex inquires: *vereor nè hoc amictu puella mihi turpes videantur.* nimirum sicut cibus insipidus condimentis, & amaræ pilulæ involucro aureo indigent, ita superbo corpora deformia vestitu. Sponsa Salomonica monilia non gestavit, quia *collum tuum sicut monilia* cant. I. v. II. mulier fortis Salomonis mater linum & lanam adhibet, &

spolijs terrarum mariùmque, auro scilicet & gemmis non indiget. *quid enim opus est peregrinorum fucos adhibere colorum, cui propria sufficit pulchritudo?* ait Bernardus serm. 41. in cant. ubi paulò antè dixerat, *quibus de proprio non inest decor, aliunde necesse est, ut mendicent, unde se speciosas mentiantur.* quin demus cetera abesse peccata, quæ tamen non possunt non adesse, nimius cultus nunquam non vitiosus est; *sunt nonnulli* inquit Gregorius M. homil. 4. in Luc. *qui cultum subtilium pretiosarumque vestium non putant esse peccatum. quod si videlicet culpa non esset, nequaquam sermo Dei tam vigilanter exprimeret, quòd dives, qui torquebatur apud inferos, bysso & purpurâ indutus fuisset.* at demus ista de corpore non esse vera, quod fœda sint, quæ insolenter ornata, de anima semper verissimū est Bernardi iudicium: *vestiū curiositas deformitatis mentium & morum indicium est. iterumque: quantò amplius corpus foris propter vanam gloriam ornatur, tantò interius anima fœdatur, & sordidatur.*

De vestimentis quid solliciti estis? an sinè his cælum nequaquam vos conscendere posse creditis, sed illius instar hospitis, qui vestem nuptialem non habebat, in exteriores tenebras deturbari timetis? imò verò superbis cum vestibus cælum adire difficilè, nè dicam, impossibilè, in mortem verò & tartara ruere pronissimum est; princeps damnati epulonis ratio à Luca depingitur in purpura. *induebatur purpurâ.* princeps perdendi Josephi argumentum ex versicolori tunica depromptum erat, ideòque tunica illa sanguine hædino respersa Patrique allata est exclamanti: *fera pessima comedit eum, bestia devoravit Joseph.* ô quot accrescentes filii & filia devorantur à superbia, ita ut necesse

S. 4.
Luxus
vestium
character
reprobatorum.

Gen. 37.
v. 33.

esse sit in eorundē polymitis causâ damnationis in hircino sanguine, hoc est, reprobōrū caractere scribere, *bestia* (superbia) *devoravit* eos. Hugonem Cardinalem audio: *de ejusmodi qui talibus vestibus induuntur, dicitur illud: fera pessima comedit eum, bestia devoravit Joseph, bestia, id est, superbia tales devoravit.* Christianis omnibus ab apostolo inscriptum illud est: *Christum induistis, nihil hac veste speciosius, pretiosius nihil, verūm Cypriano credamus: serico & purpurâ induti Christum sincere induere non possunt.* non induunt, sed exuunt Christum, qui vanitatem & mendacium in cultu corporis affectant. Si autem Christum, qui *Vita* est, exuunt, quid nisi putrida sunt cadavera, quæ in diē sepulturæ pretiosius ornari confecerunt. Lolliam Romanam in communibus festis vestitum unius millionis teste Plinio lib. 9. c. 35. gestasse transeat, at consulis in Germania filiam Christianam in calceos exposuisse sexcentos florenos, hoc erat Christum non tantum exuere, sed conculcare, & magnis passibus ad damnationem properare. Gemit Chrysofomus orat. hab. in Kalend. *eo usque mollitiæ usu delapsi sunt homines, ut & calceos exornent, quod animæ impuræ ac depravatæ signum est. licet enim per exiguum hoc esse videatur, tamen tum in viris tum in feminis magnum perditæ mentis argumentum & significatio est.* Chrysofomo consonans Chryfologus contra vestes aureas detonat & secutura reprobationis signum ex eo esse comprobatur, quod animam ad inferna nativo pondere deprimant: *aurum naturâ grave. dum suam semper reptat ad naturam, caelestes animas ad inferna deponit.* Achabi in reprobum sensum dati prognosticon fuit superbia ex purpura, ut observat Petrus Damiani: *ecce Achab im-*

periali purpurâ decoratur & reprobo spiritu fallente decipitur; cilicium induit, & gladium divini furoris avertit; regalibus infulis redimitus, laqueo deceptionis impingitur, sacco contentus, dilata ultionis indulgentiam promeretur. eidem insolenti purpuræ famem imputat Chrysofomus: purpura illa famem peperit difficilem. ex quo inferas: sicut fames prodroma mortis esse solet, ita vestium luxus & mater & prodroma est damnationis æternæ.

Meminimus nonnullos in vestibus splendidissimis infami cum. Amane appensos cruci fuisse, quam vereor, nē in malam crucem eant. omnes, qui splendida ambiunt vestimenta. Anno 1597. ipsâ Palmarum Dominicâ, quâ videlicet vestimenta pedibus Salvatoris substrata fuisse legimus, Alexander Walachia Palatinus ob malè administratam provinciam in splendidissimo vestitu Constantinopoli strangulatus animam egit, tales nimirum palmas merentur & triumphos, qui in luxum vestium dissipant pecuniæ in supremi Domini sui, Christophorus Dux Wirtembergicus, cum novorum vestimentorum luxum insolere animadverteret, carnificem eodem vestiri fecit, docuitque illos & corporis sui, & animi carnifices esse, qui superflua vestimentorum curâ sese cruciant, ipsosque habitu sic stringunt & contorquent, ut pœnè strangulent. Magnum alium Germaniæ principem refert in Labyrintho p. 2. c. 3. Stengelius ex quodam insolentissimè vestito petisse, placeretne quoque tandē pretio tam raræ elegantiae vestes vendere? imò donare respondit aulicus, misitque ocyus; quas Princeps stramine farciri & publico affigi patibulo fecit, ut leviculus ille vestitus publicâ infamiæ notâ insignitus omnibus exosus redderetur. en quàm vera-

miâ. ep. 14. ad Main. Abb.

S. Chrysofomus hom. 3. ad pop.

S. 5. Exempla eorum, qui in splendore vestium ignominiosè perierunt.

Hugo Cardinalis in c. 36. Isaia.

Gal. 3. v. 27.

Cyprianus l. 4. de hab. Virg.

S. Chryfologus ser. 29.

Petrus Damiani

veraciter dictum sit, vestes splendidas non penetrare in cœlum, sed cœlum inter terramque inominiosè hære, imò ad terræ centrum perniciosè deturbare. Notissima est historia de infelici illa hera, quæ ad diem festum solenniùs sese ornatura ancillam ante diluculum adesse præcepit. adfuit pro ancilla incognitus dæmon, itaque deformavit superbam, ut superveniens postea ancilla stuperet, horreret, fugeret. Domina verò in speculo visura, quæ horroris fugæque causâ; adeò suimet aspectu est conterrita, ut præ horrore resupinata, & extincta vivum mortiferæ superbæ speculum esse meruerit.

§. 6.
Sump-
tuose ve-
stes varijs
ex causis
displicent
Deo.

Et cur vestimentis solliciti estis? ut placeatis? imò verò vestium luxu Deo, Angelis, hominibusque displicetis. Deo quidem, qui primas in peccati pœnam sarcivit vestes, easque incultas ac simplices, quæ pœnitentiæ essent indicium, non irritamentum superbæ. at vos plus Deo sapitis & decentius aliquid tunicis pelliceis excogitatis. Exiit in cœlo Deus superbum Angelorum Principem veste pretiosâ (omnis quippe, lapis pretiosus illi erat pro vestimento) & rudentibus inferni induit, ut Archi-Apostolus observat ep. 2. c. 2. v. 4. quantò magis vilem terræ vermiculum diploide confusionis operiet. Læfæ Majestatis hoc crimen censet Cyprianus, quia numisma divinum comptuli adulterant, imaginem divinam vano & animali habitu conspurcant, & corrumpunt. *tu te existimas impune laturam tantæ temeritatis audaciam, Dei artificis offensam?* explicatiùs Tertullianus lib. de cultu foem. *quod fingitur, opus diaboli est, quod si diabolus omnia fucata excogitavit, di vino operi Sathanæ ingenium superinducere quam scelestum est, displicet deinde Deo vestium lu-*

xus, quia pretiosissimi temporis, quod per suam reparare Deus non potest omnipotentiam, est iactura; mulieres enim *dum pokuntur, dum comuntur, annus est.* displicet præterea, quia vel pauperum sanguis est, vel detracta pauperibus eleemosyna. hoc Hieronymus, illud Hieremias pronuntiavit: *inficiuntur membræ purpureo colore aurumque liquescit in literas, gemmis codices vestiantur, & nudus ante fores eorum moritur Christus.* si sacri codices ornandi non sunt cum defraudatione eleemosynæ pauperibus dispertendæ, quantò minùs sunt exornanda corpora. Hieremias verò c. 2. *in alis tuis inventus est sanguis animarum pauperum,* superbæ vestes alæ sunt, quibus se iactantia tollit in altum, ut cum Icaro vel Simone Maggo casu graviore ruat; alæ sunt, quibus excitatæ, ut loquitur Clemens Alexandrinus 3. pædag. 11. & quodammodo alatæ mulieres (molles animæ) à matrimonio, à virtute, à salutis tramite resiliunt; alæ sunt, quibus in captivitatem & ruinam ab infernali accipitre detrahuntur, & sicut columbæ de alarum suarum pulchritudine plaudentes easdem inter se collidunt & implicant, eoque strepitu accipitrem ad prædam excitant teste Plinio lib. 10. c. 16. ita superbarum plausu vestium velut alarum strepitu excitatus infernalis arbiter in easdem involat, inque exitium detrahit. His alis non ad superos, sed inferos gentes volant, inquit S. Bernardinus p. 1. ferm. 44.

Sed num Angelis superbus vestitus placet? non placet angelis, quod tantoperè placet dæmonibus, hi enim promissis feminarum sylvatis, imò & cincinnato capiti insidere sæpe numero conspecti sunt; quin & dæmonem ex energumeno loquentem tota audivit Gallia teste aurito Cœlio Rhodigino lib. 8. c. 10.

S. Hiero-
nymus
cp. 22.

§. 7.
Displicent pari-
ter & an-
gelis & ho-
minibus.

qui

qui se *Cinnamulum* vocabat, eo que compellatus nomine libenter respondebat. Sunt, quis neget, fautores superbarum vestium dæmones, ut iisdem velut rudentibus infelices animas ad tartara detrahant. Quod contra impiissimam Jezabelem (quæ cum se sibi ad placendum Jehu pingeret, jubente eodem de fenestra præcipitata est) quod inquam contra Jezabelem dictum est, cum vestieris coccino, cum ornata fueris monili aureo, & pinxeris sibi oculos tuos, frustra componeris. contempserunt te amatores tui, animam tuam quærent. id sibi omnes calamistrati & cinnamati lenones & lenæ dictum meminerint: contempserunt te Deus, angeli, hominesque, animam tuâ dæmones quærēt. Quod hominibus prudentibus nimius vestium nitor non placeat, inde patet, quia invidiam provocat, linguas dicaces irritat, suspiciones malignas movet. Loquatur Chrysostramus lib. de virg. c. 61. *quid lucri est in multis aureis ornamentis? nihil aliud omnino, nisi invidia.* Fufius Ostiensis Cardinalis apud B. Petrum Damianum apolog. 15. eleganter asserit: *cum nitor indumenti ad intuemdum se oculos provocat, linguas etiam ad carpendum hunc, qui induitur, derogationum spiculis armat; hinc illæ voces: unde huic mulierculæ nummū in cultum insolentem? nunquid*

pretium sanguinis est? venalis pudoris hedera est? hem pavonem! hem idolum! hem simiam quæ manet simia, quamvis aurea gestet insignia, hem idolum beli foris aureum, intus luteum! hem pulchram bestiam, cujus muliebrem mundum mihi optarem, ipsam verò nec pro toto mundo acceptarem. Sic sic armantur linguæ in ambitus liciniosi scopum, quod si severior veniat præco veritatis, rotundè simul & acutè cum D. Cypriano de hab. virg. exclamabit: *ornamentum & vestium insignia & lenocinia seminarum non nisi prostitutis & impudicis feminis conveniunt, & nullarum ferè pretiosior cultus est, quam quarum pudor vilis est.* hinc Syracusani & Lacedæmonij purpuram & aurum non nisi turpitudinem professis induisere teste Eustachio Diodoro & Clemente Alexandrino c. 4. pædag. Et adhuc de vestimentis curas curietis. Si adhuc mordaces has curas nutrire, & vestium luxu studere pergitis, pergite, deque curarum vestrarum præmio non dubitate, nisi enim Deus vobis pro his curis & labore tanto infernum reddat, magnam vobis profectò, ut sapientissimè Thomas Morus dixit, injuriam faciet.

Staplet. in
vita Mori,
c. 42.

